

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 38.

*Secretum litterarum commercium inter Vivos
et vita functos.*

Ad S. Bonifacium.

Ex mundo superiore.

Elysium-Meum, Die Martis .5. Junii, 1810. (Neov. 20. Maj, 1810.)

Coelestis genius adferat tibi sancte Vir!
sincera vota excelsorum successorum tuorum
in Ecclesia Moguntina. Erat hæc translata
Ratisbonam, ubi exiguo morabatur tempore.
Carolus a Dalberg (O quantum nomen!) Ca-
rolus inquam Ecclesiam Germanicam e ruinis
fatorum temporis eximendam attollendamque
suscepit. Ejus opus de Pace Ecclesie in
Statibus Rhenani foederis cum voluptate le-
gitur. — Ea ejus argumentum!

„Ecclesia Catholica est Conjunctio Fi-
delium spiritu divini Cultus, amorisque in-
vicem connexorum, dogmatibusque Chri-
stianis adhaerentium, sacris litteris nixis,
per concilia explicatis, perque traditiones
per Pontificum Decreta firmatis & stabilitis.

„Unitas meta est actionum omnium Ca-
tholicæ Ecclesie membrorum, & hæc unio

se exploat intima concordia affectionum profunda in Deum venerationis amorisque proximi, quem Christiana religio sibi ipsi æquirandum præcipit."

„Unitas Ecclesiæ nititur Catholico Christiano incumbente Obligatione dogmata sacris revelata litteris firmâ fide credendi, iisque in sensu fideliter adhærendi, quem Concilia & Præsules Ecclesiæ definivere, atque Catholica Ecclesia amplexa est."

„Unitas hæc nititur firma & universali fide de Immortalitate animæ, quæ in æternitate a Justitia Dei tributa virtuti præmia & sceleri poenas reperit."

Ad notionem Ecclesiæ exacte comprehendendum nequiquam oblivisci nos oportet: Salvatoris divini effati: Deum super omnia, proximum ut semet ipsum diligendum esse, in hoc consistere legem & Prophetas; spiritumque amoris præ omnibus esse, qui quasvis excellentis totius Regni Coelestis partes invicem conjungit. Spes fidesque grandas virtutes sunt, ast solum divini amoris ignis corda accendit, mentem illustrat in agnitione dogmatum, firmatque fidem, in publica sui professione nec martyrium nec mortem extimescentem. Hoc Dei amore nititur spes beatæ æternitatis. Eo percitus vidit S. Stephanus apertos Coelos, is continet fontem solatii verorumque fidelium tranquillitatem quorum conjunctio Ecclesiam constituit.

„Ecclesiæ Pax est tranquillitas conscientiarum in animis fidelium.

„Hæc tranquillitate probus Catholicus fruitur, dum in pastore suo contemplatur exemplum profundæ pietatis verique Christiani amoris, dum hic pastor creditas sibi animas cum perspicacia & fidelitate in via virtutis ducit, ab erroribus reducit, in adversis solatur.”

„Tranquillitas hæc in animis Catholicorum viget, dum Episcopos suos Apostolorum successores esse sciunt.”

Ea viget: dum Catholicus scit Supremum Ecclesiæ caput Centrumque Unionis Divi Petri esse successorem.

Denique ea locum habet: dum Catholicus scit: dogmata ab Ecclesia ad Credendum proposita, in veteri Testamento, Evangelio, decretis Conciliorum, definitionibus Pontificum ab universali Ecclesia receptis, rationem habere, dumque intime apud animum convictus est, divina Religionis suæ præcepta procul ab omni secundo temporeali scopo nullum præter alium finem habere, quam spiritualem piæ & amoris plenæ animæ salutem.

Utinam quovis vitæ nostræ articulo sentire nobis liceat: tranquillitatem animæ absque spiritu amoris nequaquam posse consistere! qui inter Dei & mundi amorem selectum facere ignorat, continuo affectuum & passionum pila est, non sentit is cum Ecclesiaste omnia esse vanitatem præter amorem & sui resignationem in ejus voluntatem.

Utrumque in sua puritate semper indivisibile est a vero amore, qui per id instillatur, & per media beneficentiam in omnes homines extendendi firmandique. — Hic a meris spiritus accendit ardentem Zelum, solerti opera obices vincentem, quos vitium, indifferens animus, atque ignorantia puritati suorum consiliorum opponunt — est pax animæ fidelis.”

Quod si vero Catholicus Pastorem suum in exercitio Cultus divini, quia eum publicæ securitatis perturbatorem arguere valet, impeditum videt, si temporalia potestas rationem, qua Ecclesiæ Præsules fidei doctrinam interpretandam habent, præscribit, si potestas temporalis Casibus dispensationis Sedis Pontificiæ intercedit, si in casibus singularibus decisionem litis matrimonialis in ratione etiam Sacramenti & sacri vinculi sibi arrogat, si numerus Sacerdotum ad obeundum Cultum divinum necessariorum animadvertenter deficit, si Cleri Junioris Seminaria non amplius immediatæ moderationi Episcoporum subsunt, si ab obitu Episcopi sui anni labantur, quia ei successor sufficiatur, tum dubia & anxietates tranquillitatem animæ ejus exeruciant, metuit in via salutis non tute amplius duci se posse, se aberrare quæ evidens dux eum ad Christianæ perfectionis semitam errantem reducere possit; metuit desique sacram Religionem, Consolatricem hanc in adversis, spem beatæ æternitatis sero aut cito pro se, pro dilectis natis, eorumque posteris perditam esse.

Hæc si eveniant, tum pax ex anxio corde Catholici ejecta exterminata est. Sentit se in exercitio divini Cultus suam in operibus Christianæ Charitatis quietem turbatam esse. In animo poseit liberum Religionis suæ exercitium patrum suorum. Natus educatus in Romano Apostolica Catholica Religione eam tranquillitatem invenire desiderat, quæ Dei reverentibus animabus necessaria est, & quarum Conjunctio in ipsa hac tranquillitate pacem Ecclesiæ efficit."

„Charitatis spiritus cunctis Episcopis, ceu successoribus Apostolorum obligationem imponit justo modo quævis adhibendi media ad pauperes juvandos, ægrotis succurrendum, Juventutem erudiendam, vitæ subsidia iis procuranda, qui se altaris ministerio devoverunt."

Eminentes super opum acquirendarum cupiditate & temporalis potestatis extensione successores Apostolorum tanto ferventiores sunt in Unione fidelium stabilienda, anxietate sollicitos animos levando exemplum Christianæ Charitatis præbendo, præscriptæque S. Pauli divino spiritu afflati sequendo, quæ Timotheo dederat ad æstimabilem Unionem & tranquillitatem Ecclesiæ eustodiendam.

Hæc animorum tranquillitas in Statibus Rhenani Foederis turbata est, quod plures eorum Episcopatum vacantes maneat, omnes ex tempore eorum Sæcularisationis bonorum ecclesiasticorum in Germania dotatione sua spoliati sint, quod necessario metum

conciliat futurum: ut paucis post annis Catholicæ Foederis diuisiones absque Episcopo sint. Jam jam Episcopatus Passav. Frisingens. Bamberg. Herbipolit. & Monasteriensis hanc habent conditionem. Pars dextræ Rhæni oræ insita. Meguntinus, Wormatiensis, Argentorat. & Constantiensis Dioecesis provisorie ab Archi Episcopo Ratisbon. administratur. Dioeceses Trevir. Colon. & Basiliensis quatenus lævæ Rhæni oræ insident, Eichstad. Spirensis, Paderborn. Hildesheim, Osnabrug. Corbej. Fuld. Salisburg. cum 4 Suffraganeis gaudent suis Episcopis quidem, qui ad dies vitæ saltim pensiones percipiunt, at sedes eorum nullas proprias dotationes habentes ad eorum Classem pertinent, qui post obitum Episcoporum suorum vacantes manebunt."

Hæc sollicitudini incidit animadversio: fundos Seminariarum, Coenobiorum, magnæ partis ecclesiasticorum Beneficiorum, Cathedralium Collegiarumque Foundationum sæcularisatas esse, Altaria Cultumque divinum multis in loci defectum Individuorum passurum; anxietas hæc postremum augetur per id: quod omnes Metropolitanæ Conatus ad exoperandum Concordatum frustranei & inanes fuerint, seorsivasque tractationes summorum Imperantium cum Curia Romana successu caruerint."

„Hæc adjuncta rei Catholicæ in quibusdam Statibus Rhæni. Foederis."

Si Episcopis adhuc superstitionibus successores post eorum obitum surrogandi denominentur, Si Diocesium eorum limites atque Sphæra activitatis spiritualis, animarum salutem ambitu suo complectentes functiones officiosæ non definiantur, tum notabilis hæc veteris Ecclesiæ pars intuitu Hyerarchie Episcopatus reapse solvitur, atque quadam ratione eam conditionem sibi esse animadvertet, quam Catholicismus in Anglia & protestanticis Statibus habet. — An aliquot Episcopi consecrati, aut interimales admoti sacri Commissarii continuo requisitam auctoritatem habebunt, ad libertatem Catholicæ Religionis exercitii atque præscriptionis expers Jus libertatis Conscientiæ defendendum?"

„O Germania! cujus territorium populus naturali indole sua candidus & boni animi incolit. — Germania! quæ confederatos Status pulcerrimis suis provinciis accenet, utinam Coeleste Christiano-Catholicæ Religionis donum perpetuo hæreditas tua sit! maneatque! — Utinam semen divini Cultus quod S. Bonifacius ejusque socii sparserant, suo sanguine rigaverant, quod ex X ultra sæculis explicaverat se, ac diffuderat, utinam nullo unquam tempore, progrediente funesto errorum & pravarum animi affectionum torrente, suffocetur! O Germani! Utinam divina providentia corda vestra inflamment, mentem vestram illuminet, illusionem aliquorum adparentium emolumentorum annihilat, quæ Catholicæ Religionis coeleste

beneficium nulla prorsus ratione compensant.

„Ex his meditationibus lugubris veritas consequitur: in multis Rhenanæ Confoederationis partibus per anxietatem Conscientiæ intuitu hodiernorum adjunctorum, & sollicitudinem de futuris, tranquillitatem, religionisquamque Fidelium pacem turbari.”

„Negari quidem nequit: nonnullos abusus, vicia, Majestate divini Cultus indigna exercitia religionis, nimis multiplicatas S. peregrinationes, præjudicatas opiniones & superstitiosos errores veteri ævo pedetentim in hoc Status irrepsisse, at veritas semper basis erit Catholicæ Religionis, & hoc respectu summi Imperantes gratum vere piorum fidelium animum promerentur, dum Subditos conditis Institutis mentes excolunt, quæ bonam educationem atque cognitionem utilium veritatum præparant, quæ cum vera beneficaque Relig. doctrina semper conciliabiles sunt.”

„Gratitudo Catholicorum tanto firmata magis erit, quo hæc veritates successiva ea ratione se propagarint, ut excolant mentem, quin præstringant, basim abusuum, fontem tam multorum errorum destruant, quin salutaribus veneratione & temperantia prosequendis moribus aliquam læsionem adferant.”

Secundum spiritum veritatis, qui Deitatis, e qua emanavit, essentia nititur, mutuo se adjuvant altare & solum in Concordia sacerdotii & imperii.”

Continuatio sequetur.